



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 1. De variis nominibus Europaeorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## CAPVT II.

*De Europa secundum recentiores.*

OC CVRRIT nobis attingentibus peculiarem Orbis descriptionem terrarum Orbis Domina, sedesque veræ religionis EUROPA, vnde potentiùs nunc *Roma Sancta*, quàm olim *Roma Triumphans* terras dirigit, & coniungit Christo; vnde per omnes vtriusque Orbis regiones fides spargitur, & fouetur: cuius incolæ totum orbem facillè subiugarent & addicerent Christo, si conuenire possent. Sed proh dolor! hostem in propinquo Christianum aggredi, quàm remotum Turcam inuadere, malunt. Porrò eâdem hîc methodo vtemur quâ superiori capite. Agemus I. de eius nominibus: II. de quantitate: III. de qualitate: IV. de limitibus: V. de variis eius linguis: VI. denique de amplioribus eius Regionibus, & Regnis.

§. 1. *De variis nominibus Europæorum.*

RETINUIT *Europa* nomen antiquum, neque ex tot principibus qui in eâ rerum potiti sunt inuentus est vnus, qui ei nomen suum auderet imponere. Reperio tamen eius incolas ab Asiaticis, & Africanis variis nominibus dici, & non tantùm *Europæos* appellari.

*Primum* FRANKI, quo nomine Asiatici Christianos intelligunt, à quibus aliàs pessimè affecti sunt, cùm Europæi ad vindicandâ sibi Palæstinam animum admouissent: inter quos cùm fortissimi essent Franci, Francorum nomen vnâ cum odio omnibus Christianis adhæsit. Audio tamen in præsentia Turcas Europæos duobus modis appellare, & qui Latinum sequuntur ritum *Romaos* dicere, qui Græcum, voce communi nominari *Frankos*. Sed hæc varietas extitit ex bellis adnitente Summo Pontifice contra illos susceptis.

*Secundum* est ALFRANGVES à superiori vt censeo detortum, quo vtuntur Æthiopes, vt referunt Europæi quidam, qui eos raptim adierunt. Nam qui hæserunt diu apud Abassinos Lusitani de hoc nomine silent.

*Tertium* est CAVRI cuius meminere Martinus Stella, & Mathias à Mikou Sarmata; & eâ voce Turco-Arabicâ Sarraceni des-



gnant infideles, & à Mahumeti lege alienos.

*Quartum* est DZINZIS, vox plane Turcica quæ Paganum sonat; sic enim nos maioris contumeliæ causâ vocant Ottomanî, dum se à nobis audiunt infideles appellari.

Reliqua nomina vt *Giaour Ayameia* quorum meminit Theuetus homo fidei profligatæ, non sunt propria nomina, sed maledicta quæ in Christianos effutiunt, dum eos *Canes* vocant, & prorsus indignos qui suis sacris interfint.

### §. 2. De quantitate Europæ Nouæ.

TACEO hîc figuram *Amazonis*, vel *Reginæ* quas inuehunt aliqui otiosi, cuius caput cristatum vel coronatum *Hispania* exhibeat, *Francia* pectus, ventrem *Germania*, *Anglia* læuam manum, dextram *Italia*, *Græcia* prominentem pedem, regna *Hungaria*, *Pollonia*, cum parte *Rusæ* fluentem togam, *Arctoa* denique regna sellam cui infideat *Regina*: nam hæc ægrotantium somnia. His itaque prætermisissis,

LATITVDO Europæ desumitur à Pro. *Tænario*, vulgò *de Gualgia*, aliter *des Cailles*, latitudinis 34. cum dimidio ad Boreale Prom. *le Cap Norkin* in *Noruegia* latitudinis 72. cum dimidio, ac proinde 39. gradus continet, qui ampliati per 15. aut 30. aut 60. reddunt Leucas Germanicas 475. Francicas 840. Italica milliaria 1680.

LONGITVDO ducitur à Sacro Pro. *le Cap de S. Vincent*, longitudinis 10. latitudinis 36. cum dimidio 81. latitudinis 51. quæ distantia ad maiorem circulum reuocata dat 50. gradus cum minutis 9. qui decies quinquies, aut trigiesies, aut sexagesies ducti reddunt Leucas Germanicas 752. Francicas 1504. Italica milliaria 3009.

### §. 3. De qualitate Europæ Nouæ.

QUATVOR virtutes etiam Sarraceni in Europâ notant, quòd fit feracissima, quòd incolas nutriat pugnaces, quòd Religiosos, quòd Orbi regendo pares.

FERACISSIMA est, nullâque est inter regiones Europæ cuius vbertas non laudetur. Vt enim cultiores taceam, *Italiam*, *Græciam*,